

ciatim, ubi rem ex formula Romana aestimaveris, ex epistolis, quas constat, ad relationem magistratum ab Imperatoribus esse emissas. Etenim, quum iudices de re quadam ambigerent, veluti, quum de iure novo, vel de iure antiquo dubitatio quaedam emersisset, suggestiones ad Principem, quidquid dubii esset, soluturum, fieri solebant 8). Idem vero in nostra causa esse factum, iisdemque de causis, ex tenore legis luculenter adparet. Neque est, quod quis dicat, magis esse, ut sanctionem pragmaticam in nostro exemplo intelligamus, eo, quod haec lex, quae est natura sanctionum pragmaticarum, ad preces civitatis civitati sit missa. Nam, primum MATTHIAS, Bohemiae rex, non ad preces civitatis, sed ad relationem magistratus, id est, iudicis, deinde non, quod proprium, docente I. H. BÖHNERO, 9) sanctionum pragmaticarum, in causa publica, statum universitatis publicum, veluti magistratum munus et potestatem, patrimonii publici administrationem, et quae sunt eius generis alia, concer-

8) Vid. tit. C. *de relat.*

9) BÖHMER Diss. de *sanctionum pragmaticarum indole et auctoritate*. Hal. 1737. p. 10. et 26. (Exercit. ad D. Tom. I.)